



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Catalogvs Omnium Antistitu[m] Tungaroru[m],
Traiectensiu[m], ac Leodiorum, [et] rerum domi,
belliq[ue] gestaru[m] Compendium**

Placentius, Jean-Leo

Antverpiæ, 1529

Widmung

urn:nbn:de:hbz:466:1-30477

AD AMPLIS

SIMVM PRINCIPEM D. ERARDVM

*a Marca Cardinalem Leodiorum Pacis redditæ
gratiarum actio, autore Placentio.*

Vis decernere gloriose Princeps
Quo sit nomine sæculum beatum,
Et res integræ regie Eburonum;

Sano Antistite, maximoq; Erardo
Freti, se studio sereniori
Pacis dedere, consecrare totos
Visum est omnibus optimumq; factu
Nam florere adeo omnia usq; regna
Sola pace uidemus, at perire
Bello. Hinc ingenia eminent, calentq;
Tot nostratia. Purpuratus ordo
Se se munifica arrogantia effert.
Aula est omnibus optimis referta
Illustrata Sophis uirisq; doctis
Quales Græcia Romaq; amula optet
Sunt qui Theosophiæ dedere nomen
Quorum erga Hereticos probata uis est
Quo discrimine serio triumphant.
Inter quos Petrus ille principatum

Suffraganeus obtinet, suoq;
Arcet munere naufragum Lutherum
Sunt plureis quibus istud institutum
Cordi est, ut nihil execrentur aequae
Iuris cum ijs utriusq; sunt periti
Quorum haud difficile scientia aequat
Consistoria, postq; se relinquit
Regum arbitria. Velut uidere est
In solo aegyptio tibi a Sigillis
In quem fata suam potentiam omnem
Exercent, ita totus orbe toto
Spe, fama, incolumi fide uagatur.
Cuius sedulitas diserta tractat
Tractauitq; diu negotiorum
Molem ut sufficere Hercules ferenda
Vix posset. Quid enim recenseam illos
Quos uel consulis, admouesue rebus
Perplexis, quoties libet licetq;
O te Principe saeculum beatum
O te Praesule patriam beatam,
Debemus tibi pacis assecuta
Tam longa ocia, splendidumq; uultum
Fortunae, tibi nunc uicem rependunt
Priuata omnia, publica omnium ora

Laus Suffraganei le
odiensis, sa
crae Theolo
giae profes
soris opti
me meriti.
Encomion,
D. aegyptij
Sigilliferi
L. doctoris